

Q.K.352,41.

De immortalitate et eternitate

X 1864 A 42

II f
1330

M. S.

ORATIONI VALEDI-
CTORIAE
DE
MEDIIS AC-
QUIRENDE IMMORTALI-
TATEM NOMINIS

interesse

quibus commodum est,

ut

PRID. NON. NOVEMB. A. C. M DC LXX.

H. L. Q. S.

vehiant,

officio rogat

M. PAULUS MARTINUS SAGIT-
TARIUS, RECTOR.

ALtenburgi,
Typis Gothofredi Richteri, Typographi Ducalis.







SALVE
LECTOR CANDIDE!



Cquis, quæso, hominum
curas, labores atq; vigilias susci-
pit? quis adversa & pericula
constantí invictoq; aggreditur
sustinetque animo? quis deniq;
pro patriæ suorumque salute
ipsam subit mortem, quin spe immortalitatis du-
catur, rerumq; gestarum mercedeim non desi-
deret gloriam? Nec ullus sanè invenietur. Ne ve-
rò testimonio destitutus hæc videar protulisse,
en! optimum dicendi magistrum Ciceronem
producam, qui eadem suo comprobat calculo:
*Quis tantos, inquit in Catone Maj. labores diur-
nos, nocturnosq; domi militiaq; susciperet, si iis-
dem finibus gloriam suam, quibus vitam, esset
terminaturus? Sed optimi cuiusq; animus ma-
xime ad immortalitatem gloriae nititur. Et in
Orat. Philipp. XIV. infit: Brevis vita data est, at
memoria benè reddit æ vitæ semperna: quæ si
non esset longior, quam hac vita, quis esset tam
amens*

amens, qui maximis laboribus & periculis ad
summam laudem gloriamq; contenderet? Sic
& in Oratione, quam pro C. Rabirio A. U. C.
699. habuit, ita loquitur: *Nec quisquam nostrum*
in Reip. periculis cum laude ac virtute versatur,
qui in spe posteritatis fructuq; ducatur. Ita etiam in
Orat. pro Archia Poëta A. U. C. 692. recitatâ: *Tra-*
himur omnes laudis studio, et optimus quisq; ma-
xime gloria dicitur. Nec desunt exempla, quibus
meum stabiliam assertum. Præ cæteris autem im-
mortalitatis flagrarunt cupiditate Semiramis, Phi-
lippus Macedo, Alexander M. Themistocles, Alci-
biades, Lysander, Epaminondas, Sylla, Marius,
Pompej. M. Cicero. Jul. Cæsar, Caligula, Nero,
Adrianus, Commodus, Constantius, Leo IV.
Eugenius IV. & Sixtus IV. Papæ, aliiq; innume-
ri. Philosophos quoq; illo laborasse morbo testis
est, quem sæpius citavi, Cicero: *Sic enim in O-*
rat. pro Archiâ: *Ipsi illi Philosophi etiam in iis li-*
bellis, quos de contemnenda gloria inscribunt, no-
menseum inscribunt: in quo prædicationem &
nobilitatem despiciunt, prædicari se ac nominari
volunt. Quin imo poëtas ipsosq; artifices, ut
post mortem nobilitentur, voluisse, idem I. I.
Tusc. Qv. testatur. Conf. Joh. à Chokier Thef.
Polit. I. I. c. 7. Causam autem, quod omnes o-
mnino homines immortalitatis tangantur desi-
de-

derio, accuratè, ut omnia, ex insito cuivis deducit appetitu Orator; Dicit enim in Orat. pro Arch.
Insidet quædam in optimo quoque virtus, quæ noctes & dies animum gloriae stimulis concitat atque admonet, non cum vita tempore esse dimentandam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adæquandam. Homines itaque ad unum omnes naturali ad immortalitatem nominis consequendam ferri instinctu, ex dictis constat. Nunc ad immortalitatis devenio fundamentum. Hic autem bonæ mentis studio-
so sedulo est cavendum, ne vitia pro gloriae habeat fundamento, lubrico utpote, sicuti eadem venditarunt Imperator Caligula, qui flagitiis nomen immortale sibi voluit comparare, & Rhodope, nobile in Ægypto scortum, quæ ut exstructâ Pyramide famam posteris commendaret, sumtus ad opus conficiendum ex re cepit venerea: ut & Hieronymus Olgadius, unus ex sacerditiis, qui Galeatum Sfortiam, Ducem Mediolanensem, A.C. 1476. trucidarant die Stephani: hic immortalitatis amore se parricidium perpetrasse, ingenuus est confessus. Vid. Serenissimi Principis,
FRIDERICI VVILHELMI, Ducis Saxoniæ, & Electoratus Saxonici Administratoris Optimi, memoriæ felicissimæ, Exercitat. Horar subcisi. ed. Torgæ A.C. 1598, l. II. f. 520. Machiav. I. VII.
Hist. Florent. p. 403. Eidem quoque fundamento, caduco

caduco tamen, Hermodis innititur responsum,
quo Pausaniam de famæ acquirendæ ratione
quærerentem dimisit: *Si virum aliquem illustrem*
occidisset. Qvò & digitū intendit Callisthenis con-
silium, quod qvibusdā ex Macedonia juvenibus,
qvo modo clarissimi possent fieri, sciscitantibus
dedit: si clarissimum è medio tollerent. Virtutem
itaq; fundamenti ponat loco, qvi nomen cum
æternitate conjungere desiderat; Ea enim uti o-
mnis honoris est fundamentum, ita & immorta-
litatis gloriæq;, quæ juxta Silium Italicum, fax est
mentis honestæ. Ut umbra sequitur corpus, sic
gloria virtutem; & effato Senecæ l. de morte im-
mat. *Una res est virtus, quæ nos immortalitate*
donare posse, & pares diis facere. Cum au-
tem hâc in vita fragilia sint atque caduca omnia,
sola virtus clara æternaq; habetur, judice Salustio
in Hist Catil. Hæc tempori non cedit, oblivione
non conteritur neq; marcescit: hæc, autore So-
phocle in Philoct. μηδὲ συνθήσκει βροτοῖς καὶ ζῶσιν καὶ
θάνασιν ἐκ αἰπόλλωται, i.e. nō moritur cum hominibus:
sive moriantur, sive vivat, non interit. Unde &
à Seneca Ep. 98. *Virtus vocatur immortalis.* Pro-
inde cùm Virtus fundamentum sit firmum, sta-
bile ac perpetuum, gloria, quæ eidem superstrui-
tur, non potest nō esse diuturna, perpetua ac
immortalis, quod & Cicero indicat in Orat. pro
Sextio,

Sestio, cursum gloriae sempiternum vocans. Atq; hoc ipsum veteres Achillis significarunt sepulchro, quod in Sigæo Tbjæ promontorio amarantho exornarunt: Fanam scilicet heroum perpetuo virescentem & nunquam esse intermorituram arguebant. Conf. Alciat. Embl. 135. Quibus autem modis medijsq; nominis acquiratur immortalitas, nunc est indicandum: verum cum Juvenis eximiæ spei

JOH. A EINRICUS ERNESTI,
Parente Virg. Reverendo & Clarissimo Domino
M. Daniele Ernesti, Pastore Königsfeldensium
vigilantisimo, natus, eam Orationis valedictoriæ sib' delegerit materiam, sicco, quod dicitur,
eadem transilio pede, & potius iis sum intentus,
qua Juvenis optimi rogatu mihi sunt præstanta.
Scilicet cùm ingenuæ indolis Juveni ad immortalitatem nominis comparandam jam jam ten-
denti, speciminibus, quæ edidit, egregia tertium
idq; ultimum in eruditorum virorum corona ad-
jicere placuerit, Te, L. B. hisce compellare nullus
dubitavi, contendens, ut horâ II. pomerid. ele-
gantis Orationis recitationem tuo auscultationis
favore velis dignari. Eo ipso non mihi solum
& abituenti gratiam facies magnam, sed & Ju-
ventutem ad capessenda simili laude studia in-
flammabis. Nec ingratus adeo erit, in cuius ac-
cedis

cedis gratiam, Juvenis, sed in sermone valedic
torio metris adstricto cibitas pro benevolentia
exhibitâ tibi persolvet grates, bona adhæc fau-
staq; apprecaturus. Quod autem aliis exhibebit
pietatis officium, id& eidem præstabunt qui-
dam Scholæ nostræ alumnî, & quidem ^{ILLIONI}
EHRENFRIDUS Dür / Muhla-Varisc. Ebræo,
JOH. FRICCIUS, Ascaniens. Saxo, Græco,
CHRISTIANUS Wolff / Ascan. Saxo, Latino, &
MICHAEL Wöver / Altenb. Germ.
carminibus, abitum à nobis felicem, feliciorem
in Inclytā Philyreā aditū, & felicissimum in patriā
reditum eidem vovebant. Sed calamum jam
jam sistenti succurrit aud, quod Irene, Leonis
Imper. Constantin. onjux, in ore habuit dictum:
VIVE, ut VIVA. quo indicare voluit, ita esse
vitam institueram, ut post mortem etiam no-
minis vigeat. Aoreatque gloria. Egregiè hæc pos-
sunt exp̄ari verbis Ciceronis, quæ in Orat. pro
M. Macell. extant: *Non vita nec dicenda est,*
quæ corpore ac spiritu continetur: illa, inquam,
*ut vita est, quæ viget memoria seculorum omni-
um, quam posteritas alit, quam ipsa æternitas
semper intuetur.* Vale, nostroque t. ve pro-
posito. P.P. Altenburgi Prid. Non.

Nov. A.C. 1517 CLXX.

F I N I S.

